

Pro custode datur, servit, timet et veneratur,
Atque super sanctum dolet, atque fecit quasi plan-
[ctum,

Terribilesque feræ fragilem corvum timuere.

Terret eos alis, custodia spiritualis.

Hunc lupus immanis, quem venter agebat inanis,

Ut caput aspexit, procul ejus in ora reflexit,

Et caput in morem curvans facientis honorem,

Extra naturam, gessit pro corpore curam.

1248 Sed nequit ista pati mens perfida, mens sce-
[lerati,

Nec favet huic parti, sed totum deputat arti ;

Et quoniam terræ pugnam nequit amodo ferre,

Bella parabat aquæ, pugna superandus utraque.

Claruerant signis tellus, aer, furor ignis ;

Hic liquor est quartus, qui restat ut abluat artus. B

Debet confundi per singula corpora mundi,

Ut contra stultum nil deserat orbis inultum.

Pressum mole gravi, jubet hunc imponere navi

Exanimisque viri corpus pelago sepeliri,

Ut quis corvina rabies nequit atque ferina,

A Plus ope divina possunt vel monstra marina.

Sed non procedit, nec enim sibi pontus obedit,

Et pelago mersus, prior est citiusque reversus

Navi, quam ventus juvat, impellitque juventus :

Quod potuisse virum post mortem non puto mirum,

Cum si cœlica vis sit ventus, navita navis.

Expletumque scelus, properabat iniqua phaselus

Allabens terræ quasi gaudia magna referre.

Insultat lictor, sed martyr et hic quoque victor,

Quem putat absorptum, jam præscierat sibi portum.

Femina, res fragilis, fidei solet esse virilis.

Rusticus admonitus per somnum poscere littus,

Et vili fossa tumulo dare martyris ossa,

Dum timet et dubitat, fideique negotia vitat,

Dum timet indignus venerabile tollere pignus,

B Martyr matronæ pollenti religione

Adsat, apparet, quid agat docet, illaque paret.

Quod vir non audet, pia femina quærere gaudet :

Noctes sub obscura vigili venit ad mare cura,

Quærit et inventum rapit, et dat ei monumentum,

INCIPIT

PASSIO SANCTÆ AGNETIS

VIRGINIS ET MARTYRIS.

(Ex præfato manuscripto Sancti Mariani Antissiodorensis).

BREVE MONITUM.

Invenitur typis edita Francofurti an. 1624, typis scilicet Wechelians apud Danielem et Davidem Ancrios et Clementem Schleichium. Idque in libro trigesimo adversariorum commentariorum Gaspari Barthii fol. 1448, sed prolixius eo quod exstat in manuscripto Sancti Mariani Antissiodorensis, cui ex undecim capitibus, in quæ in Barthiano dividitur, desunt fere duo ultima capita quæ huic Sam Mariano subjunximus. Porro Barthius hoc poema accepisse se monet ab Heriberto Rosweydo S. J. presbytero eruditissimo, qui illius auctorem esse asserebat Hildebertum Cenomansensem episcopum, quod ex hoc manuscripto Sancti Mariani confirmari merito potest. Quominus igitur hoc poema tribuatur Hildeberto non debet obstare quod Operibus Philippi Bonæ-Spei abbatis editis Duaci an. 1630 sub finem attextatur, cum ibidem plura alia carmina inserta fuerint, quæ ad fidem multorum optimæ notæ manuscriptorum indubitanter sunt Hildeberti, cui specialiter in pluribus optimæ notæ mss. tribuitur.

1249 CAPUT PRIMUM (79).

Agnes sacra sui pennam scriptoris inauret,

Linguam nactareo compluat imbri meam.

10 Cujus martyrium metricis depingere tento

(79) In editione Barthii hoc poema dividitur in duodecim capita.— Varias lectiones Barthianæ edi-

10-70 *Ejus.*

C Floribus, ut docebat passio sacra fidem.

Floruit urbe Romæ præmissæ virginis ortu,

Et velut hoc speculo tota refulsit humus.

Orta puella novo respersit lumine Romam,

tionis ab hac nostra e Marianensi codice desumpta, hic notandas duximus.

Inclita stirpe, decens ore, decora fide.
 Ut stellas sepelit radians vibratio lunæ,
 Sic socias roseo virgo decore premit.
 Tot dotes in eam naturæ gratia fudit,
 Quod quasi mendicans post sua dona fuit.
 Astra ligustra, rosas imitatur, reddit, adæquat,
 Ignea, clara, rubens lumine, fronte, genis.
 Præfulgent oculi velut astra, caput velut Iris,
 Frons quasi nix, facies ut rosa, dens ut ebur.
 Præter tot specula dotum præfulgida cunctis,
 Nobilior fidei gemma beavit eam :
 Virgo quidem sexu, vir in actu, flava capillis,
 Sensu cana, brevis corpora, magna fide.

CAPUT II.

Pro fidei titulo, cum Romam purpurat ejus
 Passio, post⁷⁷ denum tertius annus erat.
 Quæ⁷⁸ postquam a studiis reditum parat, hæret in
 [illam

Lumine præfecti filius ; illa placet :
 Alliciunt juvenem flos oris, lux oculorum,
 Frontis lana, genæ purpura, dentis ebur.
 Intuitum juvenis decor iste reverberat, intus
 Verberat ; inde sibi pabula sumit amor.
 Curarum murmur in pectore serpit, amoris
⁷⁹ Vulnere frustrata mens rationis hebet,
 Succinctusque dolis, verbis et munere, carnis
 Lilia virginæ carpere tentat amans,
 Hanc prece⁸⁰ tentat amans, donis adit, arte fatigat :
 Nil prece, nil dolis, nil amor arte valet.
⁸¹ Præmia promittit, formam jactat, genus effert ;
 Non habuere locum⁸² præmia, forma, genus.
 Hic amat, hæc odit ; hinc supplicat, illa repugnat.
 Ille dat, hæc spernit ; hinc cupit, illa negat.
 Omnis conspirat rabies⁸³ in damna pudoris ;
 Sed manet absque nota floridus ille pudor.
 Stat pudor immotus, fit amor delusus amantis :
 Spreverat auditum talibus illa sonis.

CAPUT III.

O turbo pacis ! o dux necis ! o pudor orbis !
 Supprime verba, moras rumpe ; recede procul.
 1250 Quid das ? quid⁸⁴ spectas ? quid stulte petis
 [sine lucro ?
 Munera sunt sine re spes, sine messe labor.
 Me ligat alter amans, quem⁸⁵ præponunt tibi stirpis
 Nobilitas, formæ gratia, culmen opum :
 Ex cujus digitis gemmas mihi vindico, cujus
 Ex oculis lumen, cujus ab ore favum.
 In thalamis ejus, in mensis ejus, in aulis
 Ejus plectra canunt, mel fluit,⁸⁶ ostra micant,
 Ridet, olet, garrit, flos, thus, avis ; ejus in hortis
 Ridet flos, redolet thus, citharizat avis.
 Hic est de cujus specie lunæ rota, solis
 Circulus, astrorum flamma stupere solent.

A Lunares radios et solis fulgur, et omnes
 Cæli candelas cereus iste premit.
 Omnia stellarum præclara monilia sumunt
 Ex ejus speculo quidquid honoris habent.
 Hic mea ditavit armillis brachia, pectus
 Crystallis, collum torque, decore genas,
 Cyclade membra, manum gemmis,⁸⁷ caput, aures
⁸⁸ Sapphiris, mensam nectare, flore torum.
 Hic est qui cælum stellis, qui gramine terram,
 Alite ditavit aera, pisce fretum.
 Cujus odor, cujus tactus, cujus⁸⁹ decor ægros
 Sanat, defunctos suscitât, astra premit.
 Isti me⁹⁰ voveo, sponsalia debeo, mentem
 Subdo, servitium præbeo, servo fidem,
 Qui nulla niveum denigrat labe pudorem.
 Sed castum casto servat amore decus.
 O casti sponsi celebris dignatio ! cujus
 Oscula casta, sacer tactus, honestus amor.
 Hunc sequor, hunc fateor, hunc nocte dieque fre-
 [quento,
 Mente sequor, fateor ore, frequento prece.

CAPUT IV.

Finis erat verbis, juvenem torquet furor, angit
 Cura, dolor cruciat,⁹¹ virginis urit amor.
 Cedit, abit, morbum simulat, totamque⁹² furoris
 Illecebram febris nomine velat amans.
 Febrem mentitur pectus, gena, lumen ; anhelum
 Pectus, gena pallida, lumen hebes,
 Consilio medico didicit pater omnia ; nato
 Blanditur, tentat viscera, spondet opem.
 Surgit, abitque preces instillans virginis⁹³ auri,
 Adstipulans precibus aurea dona suis :
 Dando, precando, nihil venantur præsidis artes :
 Pondere dona carent, devehit aura preces.
 Fœderis insigne quod primo debet amanti,
 Candor virgineus se violare negat.

1251 CAPUT V.

Quis sit amans cujus Agnes⁹⁴ colluctat amori,
 Præfectus famulum consulit ; ille docet :
 Indicat hic tanta delusam fraude puellam,
 Ut se cum Christo fœdus inisse putet.
 Totus ad hanc vocem judex hilarescit, et ejus
 Patribus insinuat hanc necis esse ream.
 Nam quia famoso rutilabant nomine patres
 Virginis, inferre vim sine lege timet.
 Ut Christi servos Romanus puniat ensis
 D Lex erat ; hac judex palliat arte scelus.
 Hanc igitur jussit furor offerri sibi ; votum
⁹⁵ Jussis arridet : illa vocatur, adest.
 Lenit et increpat hanc ; modo blanditur, modo
 [terret ;
 Nunc pluit ille preces, nunc tonat ille minas :
 Sed neque rore precum sinceræ polluit aures.

⁷⁷ Decium male. ⁷⁸ Quæ cum de studiis. ⁷⁹ Pulvere fuscata lux rationis hebet. ⁸⁰ Tangit amor. ⁸¹ Prædia promittit, jactat formam et genus. ⁸² Prædia. ⁸³ in digna. ⁸⁴ speras ? quid stulte seris ? ⁸⁵ præponet. ⁸⁶ astra. ⁸⁷ gemmis sertis caput. ⁸⁸ Sappiris. ⁸⁹ honor. ⁹⁰ voveo et sponsalia. ⁹¹ fraus agit, urit. ⁹² furentis. ⁹³ aure. ⁹⁴ collaudat amorem. ⁹⁵ Junxit et arridet ; virgo vocatur, adest.

Nec mentem tonitru concutit ille suo.
 Judex expertus se litus arare, vidensque
 Mentiri Domino, semina⁹⁹ prodit in hæc:
 Si tuus ille pudor velit hunc servare pudorem [f.
 [nitorem],

Ut celebres Vestæ sacra necesse tibi est.
 Illas Vesta petit quas candor floridus ornat,
 Virgineas quærit virginis ara manus.
⁹⁷ Dixit ad hæc virgo: Lapidini supplico, lignum
 Non veneror, Vestam nescio, sperno deos.
 Vestra quidem Vesta lapis est, quam nomine falso
 Vobis mentitur aurea forma deam.
 Non aliquo deitas insigni consecrat illam;
 Non aliquem sensum vita ministrat ei.
 Huic desunt manuum tactus, linguæ sonus, auris
 Auditus, frontis visio, naris odor:
 Carne nec est palpans, nec fronte videns, nec odo-
 [rans
 Nare, nec auscultans aure, nec ore loquens.

CAPUT VI.

Judex inquit ad hæc: Ætas pro te puerilis
 Supplicat, et pœnæ protrahit illa moram.
 Sed sterili verbo quid tempora fallimus? Ecce
 Quæ jubeo duo sunt, quodlibet illud age.
 Aut sacra jussa feres, aut scortum facta, pudoris
 Incurres masculam, tota sacrata reis.
 Illa viri mentem responso vulnerat isto:
 Falleris, et sterili nomine litus aras.
 Candorem fidei neque carbo polluit aræ,
 Nec carnis florem polluit ullus amans:
 Christus utrumque sibi, corpusque fidemque sa-
 [cravit,

Servans a macula corpus, ab hoste fidem.
 Vir meus iste quidem, custos meus, et meus auctor
 Vir mentis, custos corporis, auctor opum.
 Christus enim⁹⁸ spes est, lux est, medicina suorum:
 Spes miseris, cæcis lux, medicina reis.
 Hoc duce me certa nec frangit pœna, nec ensis
 Terret, nec vincit fraus, neque turbo quatit.
 Hic est qui lucem Phœbœa lampade ditat,
 Et lunæ speculo noctis honorat iter.
⁹⁹ ~~1252~~ Hic croceo flore ridentes purpurat hortos,
 Fronde nemus crispas, messe coronat agros.
 Ut¹⁰⁰ verbis brevibus hunc depingam tibi, novit
 Omnia, disponit singula, cuncta potest.
 In titulis ejus quam lata sit area, lingua
 Volvere, mens scire, scribere¹ dextra nequit.
 Cum meus iste Jesus tot dotum fulgeat auro,
 Vestros nobilitat gratia nulla deos.
 Dii vestri nec vigent, nec carne moventur,
 Nec vita spirant, nec Deitate nitent.
 Gressu, non pedibus; sensu, non corpore; tactu,
 Non manibus; verbis, non tamen ora carent.

CAPUT VII.

Pax hujus vocis in flammam suscitatur iram

A Præsidis! ad facinus compulit ira² manum.
 Agnen deludi, tradi lenonibus, uri
 Verberare, nudari vestibus ira jobet.
 Paretur; nudat manus impia veste puellam:
 Intuitum fallit nuda puella³ viri.
 Crini virgineo se gratia tanta refudit,
 Ut totum corpus orinis obumbret honor.
 Tam celebris novitas animum mollire parentis
 Non potuit, nec eum causa pudica movet.
 Sed nova præceptis addens calcaria, servos
 Instimulat, cumulans post data jussa minas.
 Ergo minas sequitur effectus; cœpit ad ædis
 Impuræ caveam virgo pudica trahi.
 Ejus ad ingressum tenebras et sordis odorem
⁴ Fundit et emungit cella maligna foras.
 B Angelico Christus cellam fulgore serenat,
 Luminis auctorem lumen adesse probat.
 Angelus hic, ibi lux, odor est tibi: consecrat an-
 [trum
 Angelus, irradiat lumen, adimplet odor.
 Virgo preces fundit; non fallunt vota precantem
 Ut sacra membra tegat,⁵ palla refulget ibi.
 Quæ sic mensuras carnis respondet, ut ipse
 Angelicam credas applicuisse manum.
 O felix Christi dignatio! quo duce tantas
 Luxuriæ syrtes transnatat ille pudor.
 Nullus eam delusit amans, sed lucis adorans
 Vibrantes radios, quisque redibat orans.

CAPUT VIII.

Jam juvenum torpebat amor, cum criminis auctor
 Advolat huc juvenis ad sua vota celer.
 C Ingressusque locum sociis discingitur, antrum
 Solus init⁶ cinctus arte, furore, dolo.
 Luminis ingressu vix uti cœperat, ejus
 Verberat intuitum lucis imago sacræ.
 Spernit amans tantum decus, et nullius honoris
 Impartit titulo tam speciale jubar.
 Ignarusque moræ mediæ fulgoris abyssum
 Impetit, et propius imperat ire manum.
 Cumque sacram vellet manuum lascivia carnem
 Tangere, mors illum sustulit, ultra scelus.
 De reditu juvenis comitum spes fallitur, ille
 Non redit; hunc retinent compede fata suo.
~~1253~~ Cur tantum reditus juvenilis torpeat, unus
 De sociis cellam consulit, antra subit.
 Dumque vago cellam perlustrat lumine, funus
 D Ostendit, socios advocat, orat opem.
 Affluit hic [f. huc] omnis juvenum lascivia, clamor
 Exoritur, resonant murmura, corda⁷ strepunt
 [f. stupent].
 Fama novi casus patris aures sauciat; ille
 Territus advolat⁷ huc, urbe sequente virum.
 Indulget lacrymis oculus, cor cura molestat,
 Tingitur imbre gena, scinditur ungue coma.
 Ora, locum, mentem perhorat, concutit, uvat

⁹⁸ perdit. ⁹⁹ Reddidit hæc virgo. ⁹⁹ spes et lux et. ⁹⁹ Qui croceo. ¹⁰⁰ Ut brevibus hunc depingam.
¹ penna. ² virum. ³ tamen. ⁴ Funditus emergit. ⁵ stola. ⁶ cantus arte. ⁷ advolat hunc.

Lacryma, liagua, ⁸ furor, falsa, sonora, gravis. A
 Exinctum florem juvenilis corporis Agnæ
 Fraudibus assignat vox lacrymosa patris.
 Imputat huic mortem, veluti si virgo fuisset
 Juvenis in mortem fraudibus usa suis.
 Intulit hæc Agnes: ⁹ Erras si sortibus usam
 Nostram credideris in tua damna manum.
 De tanta segete juvenum, cur angelus ultor
 Messuit hunc solum, congrua causa patet.
 Perstrinxit juvenum mentes lux ista, sed hujus
¹⁰ Mentem non tetigit luminis hujus honor.
 Qui dum me graviter impura tangere dextra
 Nititur, ¹¹ excussit ultio digna nefas.
 Præses ad hæc: Natum mihi si cum luce resignas,
 Sermoni pondus res dabit ista tuo.
 Virgo refert: ¹² Opus hoc meritis non debeo vestris;
 Discrepat a vestra gratia tanta fide.
 Sed quia tempus adest ut Christi candida virtus
 Prodeat in lucem, quod petis illud habe.
 Nunc igitur cellæ se subtrahat illa juvenus,
 Ut magis in precibus sim studiosa meis.
 Dixit: Ad hanc vocem subito foris evolat omnis
 Flos juvenum, fundit virgo beata preces.
 Arridet precibus votorum gratia, surgit
 Mortuus, affirmans numina digna face.
 Huic sonat in lingua Jesus, illi Christus in ore
 Est favus, in corde lumen, in ore melos.

CAPUT IX.

Res nova templorum cultores incitat, urit
 Mentem cura, timor conculit, ira cremat.
 Omnes ¹³ in solam conspirant; hanc nece dignam
 Clamant, et magicis artibus esse ream.
 Patris pertentant animum pro sospite nato
 Gaudia, sedatur sæva doloris hiems.
 Jam torpet rabies, jam detumet ¹⁴ ira minarum;
 Jam dare vult veniam, jam parat esse pius.
 Parcere vult flori niveo, nisi lex, nisi vulgus,
 Et nisi pontificum turba repugnet ei.
 Vincitur his pietas tantarum turbine rerum
 Fracta, nec ad finem mens pia duxit opus.

¹⁵ Jubilus inde tamen abit hinc, onerans, et hono-
 [rans

¹⁶ Aspasium legum jure, suoque loco.
 Ad populi nutum deflectens juris habenam
 Injuste tractat præsidis ille vicem.
 1254 Quem dum vulgaris rabies de morte molestat
 Virginis; ignibus hanc imperat ille dari.
¹⁷ Implendo sceleri sacrificæ accingitur, ignem

(80) Quæ sequuntur suppleuntur ex editione Bar-
 thii, de qua meminimus in hujus poematis summa-

¹⁸ Accendit; mediis ignibus illa datur.
 Sulphuris auxilio jejunos pascitur ignis.
 Fervet et exundat flamma cruenta nimis.

CAPUT X.

O scelus! Illa caro quæ nullum moverat ignem
 Illecebræ, mediis ignibus esca datur.
 Nil tamen egit in hanc præsens combustio; vires
 Est oblita suas nescia flamma sui.
 Non est ausa suis in virgine viribus uti,
 Sed quasi compatitur, et miseretur ei.
 Porro viros quosdam qui flammam sulphure pa-
 [scent

igneus ¹⁹ involvit in sua jura globus.
 Quæ stupeo duo sunt ibi; dux nequam et pius ignis,
 Arbitrarius injustus justaque flamma fuit.
 Ignescit sacrificæ in pœnam virginis, ignis
 Frigidus est et iners, nilque caloribus habet.

(80) In flammæ medio, nimbo respersa superbi

Nectaris, his Agnes vocibus usa fuit:
 Christe, tibi laudum refero præconia; vota
 Persolvo, grates offero, fundo preces;
 Cujus dulcedo, cujus dilectio, cujus
 Gratia munit, amat, servat ab hoste suo.
 Te duce tortoris contempsi lora, Charybdim
 Luxuriæ, flammæ vim, juvenumque minas.
 Pro te, Christe, tulit tot amara, sed ecce labori
 Digne respondent præmia justa meo.

Jam quod speravi video, teneo quod amavi,
 Tango quod optavi, sortior id quod emi.

Oris virginei vox ad Christum volat, ejus
 Nares respergens thuris odore sui.

C Ad ejus vocem diræ tota molestia flammæ
 Torpuit, ut nunquam viveret ignis odor.
 Ignis non ausus igitur spirare, furorem
 Pone, perdit vim, deprimit atque minas.

CAPUT XI.

Turbam conturbat nova signi gratia; signum
 Vidit et invidit plebs, fremitumque dedit.
 In scelus Aspasium plebs urget: ut ergo cruorem
 Innocuum gladius exhibat, ille jubet.

Maturat facinus tortoris dextera; pœnam
 Esuriens, armat cuspis acuta manum.

Virgo cruore suo lictoris inebriat ense;
 Sanguinis effusi purpura pingit humum.

Agnæ meritum triplex insigne venustat;
 Munda caro, rosea passio, certa fides.

D Agnum, qui mundi peccatum sustulit, istis
 Virtutum titulis vindicat Agna sibi.

rio, et ex editione Duaciana anni 1630 supra me-
 morata.

⁸ dolor fusa. ⁹ o, o si sortibus. ¹⁰ Mentis non. ¹¹ exclusit ultio digna scelus. ¹² refert: Post hæc
 meritis. ¹³ Omnes... solum. ¹⁴ unda. ¹⁵ Nullus inde tamen abit hinc. ¹⁶ Aspinum legum rora.
¹⁷ Impendo sceleri sacri... accingitur. ¹⁸ Suscitatur ad stipulas arida ligna rogo ¹⁹ invasit.